ANTONII MVSÆ BRAſauoli de præſenti libello iudicium.

VVlgatus Salernitarum de tuenda valetudine libellus, his qui legunt non parum vtilitatis præſtat, illiſque multo maiorem, qui libelli præcepta obſeruant.

GALENVS. Lib. 6. cap. 10. de Sanitate tuenda.

ARs quæ ſanitati tuendæ præſidet, iis qui ſibi paruerint, conſtantem ſanitatem promittit. Qui vero parere recuſant, iis perinde eſt ac ſi omnino non eſſet. Recuſant autem alii ab ipſa in præſens voluptate victi, quos incontinentes intemperanteſque nominant: alii ab ambitione, quam Græci hodie κενοδοξίαν, id eſt, vanam gloriam vocant.